





*2/10/11*  
~~GA 17~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-61.*

SIGNAT. c1515CCCXIII.



Cum DEO

9

IN AUGUSTANÆ CONFSSIONIS

Articuli primi partem priorem, quæ agit

De

DEO UNO ET TRINO

IN SE CONSIDERATO,

DISPUTATIO XXIII.

Ex Becano, & contra eundem;

De

NOTIONIBUS, ÆQUALI-

TATE, ORDINE ET PRIORITATE

PERSONARUM.

Quam WITTEBERGÆ

PRÆSIDE Venerando sene

Plurimum Reverendo, Amplissimo Excellentissimo,

V I R O

DN. JACOBO MARTINI,

Sacrosanctæ Theologiæ Doctore ac Professore,

Publico Primario, Totius Academiæ SENIORE Venerando, Templi

Arcis Præposito, & Consistori Ecclesiastici Assessore

gravissimo,

Præceptore atq; Evergeta Suo omni observantiâ atq; devotâ  
animi submissione sanctè suspiciendo.

Placide Dnn. Collegarum Ventilationi exponit.

DANIEL KLESCH IGLOVVIA

HUNGARUS.

In Auditorio Theologorum

Ad d. 22. Julij, Anno clc lxc. XLVIII.

Excudente JOHANNÉ RÖHNERO Acad. Typogr.

1715  
L. III





IN AUGUSTANÆ CONFSSIONIS  
Articuli primi partem priorum, que agit

DEO UNO ET TRINO  
IN SE CONSIDERATO,  
DISPUTATIO XXIII.  
Ex Beano, & contra eundem;

NOTIONIBUS. EQUE  
TATE, ORDINE ET PRIORITATE  
PERSONARUM.

Primum Recendo, Amplissimo Excellentissimo  
P R A E S I D E Venerando Seno  
G R A M M A T I C A E W I T T E R B E R G E

DR. JACOBO MARTINI  
Sacrosanctæ Theologiæ Doctore ac Professore  
Publico Primario, Totius Academiæ SENIORS Venerando, Tempelli  
Acta Proposito, & Consistorii Ecclesiastici Allectore  
gravissimo,

Pro ceptore atq; Evergeta suo omni observantia atq; devota  
amitabundissime laude suscipiendo.  
Placida Dom. Collegii nrori Venerabili exponit

DANIEL KLESCH IGLOVIA  
HUNGARUS.

In Auditorio Theologorum  
Ad d. 12. Julij, Anno ab Inc. XVIII.  
Recedente Johanne Röhnero Acad. Typogr.



S. D.

**R**epertus Philosophum docere *sobrie*  
*Solus potest, & erudire pectora*  
Feliciter scientiarum nectare,  
Ratione rectâ cuncta pensitans bene,  
Quæ prisca gentium labore condidit  
Emunctiorum ætas sagacis ingeni.  
*Oracula Dei docere, sobrie*  
*Solus potest, qui sola verbi oracula,*  
Sequitur sacri coelestis Spiritu,  
Nec, quas Papalis urget Impudentia,  
Vanis inhæret ipse Traditionibus;  
Nec, quas superstitiosa nuper secula  
Scholasticorum prodidit, inanibus  
Subtilitatibus *in* implicat  
Totum; Sed inde vera libellâ Sacri  
Limata verbi mente pura feligit,  
At falsa Zelô justiore rejicit.  
Id præstat hic contra BECANVM faustiter  
VENERANDUS ipse PRÆSES; Ergo *sobrie*  
*Oracula Dei docet, & sobrie*  
*Olim Sophorum cogitata prodidit*  
Et publicè docuit per-utillissimis  
Scriptis, nec adversarios moratus est.  
Hinc ipse PHILOSOPHI diu nomen tenet  
MAGNIQ; THEIOLOGI: Sub hoc DVCE prodeo,  
Et intricata jam propugno LEMMATA,  
Jam defero, quæ veritati consona  
Sequimur, BECANO verò falsa remittimus.  
At vos, PATRONORVM COHORS, favebitis  
Studiis meis, ad altiora non queo  
Penetrare, si modò satis præsentia  
Attingo, nitar hic tamen pro viribus  
Et ingeni modulo, ad Jehovæ gloriam

Quæ



Quæ pertinent, ut omnia ista pectore  
Piò reponam, & insuper studiis Sacris  
Sic totus incumbam, sibi quò patria  
Sperare de me possit haut inutile  
Membrum; Videmus ut Papæ deliria,  
Quæ cœca nubes versat inscientiæ,  
Caliginosas litium strophas petant,  
Hoc sensit olim Patria ipsa jam jugum  
Tenebrasq; densas. Has, DEVS, repellito  
A sinibus nostris, tuamq; coelitus  
Lucem sacrati, quæso, verbi reddito,  
Honos Tuus quò crescat atq; Gloria  
Nomen Tuumve *Eoa regna* personet,  
Plures ut erudiantur ad cœlestia  
Tui Theatra Regni, & ampla præmia  
Ferant, tuæ beatitatis compotes.

Ita

Erga DEVM devotus

vestri,

PATRONI MAGNI,

Observantissimus

vovet

Qui ad omnem cultum VOBIS se

devovet.

Daniel Klefch, Respondens



Quæ





DISPUTATIO XXIII.

De

Notionibus personarum.

QUESTIO I.

Quid & quotuplex sit notio divina.

1.  
**P**rogredimur cum Becano ad *Notiones personarum divina-  
rum*, de quibus tres movet quaestiones; Unam de notioni-  
bus divinis: Alteram de actibus Notionalibus, & extremam  
de potentiis notionalibus. Primam quaestionem resolvit tri-  
bus Conclusionibus. Prima est: *Notio nihil aliud est quam ra-  
tio cognoscendi unam personam, ut ab alia vel aliis distinctam.* De-  
rivavit illam, & fatetur ipse, ex *Thoma q. 32. art 3. & ex Augusti-  
no lib 5. de Trinit. cap. 6.* Ex conclusione hac deducit duo neces-  
saria requisita, ut aliquid sit Notio. *Primum*, ut significetur  
in abstracto: quia debet significari ut forma, aut quasi forma  
hujus vel illius personae, qua ab aliis distinguitur. 2. *Ut per-  
tineat ad originem*: quia debet significare distinctionem u-  
nius personae ab alia. Personae autem distinguuntur per ori-  
ginem.

2. *Thomas* loco allegato fere eodem modo definit *Notio-  
nem*. *Dicendum est*, inquit, *quod notio dicitur id, quod est pro-  
pria ratio cognoscendi divinam personam.* Unde etiam duo illa  
requisita cum suis rationibus sunt desumpta: quas etiam indu-  
ctione probat *Thomas*. *Augustinus* quidem allegato cap. 6. &  
seqq. rem quidem habere videtur, nomen vero non habet.

Secunda  
Conclusio  
Quintus  
notiones  
ho ne  
Eadem  
recept  
Thomas  
Respon-  
dente  
Danielo  
Kleschio  
Iglovien-  
si Hun-  
garo.  
Prima  
Conclusio:  
quid sit  
notio, ex-  
plicans  
Duore-  
quisita ut  
aliquid sit  
Notio  
1.  
2.  
Thomas  
eodem  
modo defi-  
nit Notio-  
nem.



**Secunda  
Conclusio.  
Quinque  
notiones  
div. na.  
Easdem  
recenset  
Thomas.  
Ratio Be-  
cani.  
Innascibi-  
litas.**

3. **Secunda Conclusio:** *Quinque sunt notiones divina. Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Processio.* Hæc feiè etiam quoad verba est Conclusio Thomæ in articulo 3. quippe quam ita proponit: *Quinque tantum notiones sunt in divinis, Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Communis spiratio, & Processio.* Addit Becanns rationem: *Quia sunt nota seu formæ quædam, quibus cognoscimus, unam personam distinguere ab aliâ, quoad originem.* Nam *Innascibilitas* est notio quæ significat rationem non habere originem ab alio. *Paternitas* est notio, quæ significat Patrem esse principium & originem alterius. Et sic deinceps. Quæ rationes etiam ex Thoma sunt defumtæ.

**Paterni-  
tas.  
Innascibi-  
litas non  
ita est no-  
tio patris,  
ut Pater-  
nitas.**

4. Verum enim verò *Ingenitum esse, sive Innascibilitatem* Ita esse notionem Patris, ut quidem *Paternitas* est, supra in dubium vocavimus, imò negavimus. Nam *Notio* propriè loquendo, debet exprimere proprietatem, quâ persona distinguitur ab aliâ: Imò, ut vult ipse Becanus, debet esse vel forma, vel rationem sive ingenium formæ habere. Verùm id de *Innascibilitate* sive de *Ingenito* dici nequit: Quandoquidem *Ingenitum* sive *Innascibilitas* tantum abest, ut dicat formam, ut illam neget, uti de hac notione sive termino disputat, *Augustinus allegato lib. 5. de Trinit. cap. 6. & 7.* Cum, inquit, *Ingenitus* dicitur *Pater*, non quid sit, sed quid non sit, dicitur. Et mox: *Sic primum videndum est hoc significari, cum dicitur genitus, quod significatur, cum dicitur filius. Ideo enim filius, quia genitus: & quia filius, utique genitus. Quod ergo dicitur ingenitus, hoc ostenditur, quod non sit filius.* Et paulò post: *Pro ingenito dicimus non genitum, quod tantum valet. Non ergo aliud dicimus, quam non filium, & quod æquè de Spiritu Sancto & de Patre dici potest.* Quod etiam nos docet *Symbolum Athanasianum: Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus: sed procedens: Unum porrò colligitur: quod Innascibilitas non est ejusmodi Notio (ut vult Becanus) quia significat Patrem non habere originem ab alio: aliàs enim idem significaret, quan-*

**Repre-  
henditur  
Becanus.**

do



do in Symbolo jam allegato Spiritui Sancto tribuitur: nempe quod etiam is non habeat originem ab alio. Quod verò contra fidem.

5. Tertia Conclusio Becani: *Ex his quinque Notionibus sunt tantum quatuor relationes: quia Innascibilitas non est relatio, sed negatio relationis: Item tres tantum proprietates: quia Spiritus activa non est ulli personæ propria, sed communis Patri & Filio. Item tres tantum proprietates personales, id est, constituentes personas in esse personæ. Nam Innascibilitas & Spiritus activa non constituunt personas; cum altera sit negatio, altera verò communicabilis. Hinc deducit & ostendit, eandem rem v. g. Paternitatem posse esse notionem, relationem, proprietatem, & personalem proprietatem. Cum dicatur Notio, quatenus ratio cognoscendi patrem, ut ab aliis distinctum: Relatio, quatenus est ratio referendi Patrem ad Filium. Proprietas, quatenus convenit uni tantum personæ: Proprietas personalis, quatenus constituit personam in esse personæ. Sed isthac magni momenti non sunt.*

## QUÆSTIO II.

### Qui & quales sint actus Notionales.

6. Quæstionem hanc explicat Becanus quatuor Conclusionibus. Prima: *Actus notionales in concreto sunt, generare & spirare; seu dicere & diligere: In abstracto verò generatio & spiratio. Addit porro: Dicuntur notionales, quatenus distinguuntur ab essentialibus, qui sunt intelligere & velle. Item hi actus sunt meræ relationes, per modum actionum significatæ. Item quoad quæri soleat, an sint necessarii, an voluntarii. Ubi distinctione opus esse concludit, idque ex sequentibus manifestum futurum. Verum subtilitates hæ sunt inanes: quæ non tam explicant, quàm implicant hoc mysterium.*

Conclusio prima.  
Actus notionales  
cur ita dicantur.

7. Se-



Conclusio  
secunda  
Actus no-  
tionales  
sunt natu-  
rales ac  
necessarii.

7. Secunda Conclusio: *Actus Notionales sunt naturales ac necessarii: quia Pater naturaliter ac necessario se intelligit: Ergo naturaliter ac necessario generat filium. Ergo actus generandi est naturalis ac necessarius. Item Pater & Filius naturaliter ac necessario se amat: Ergo naturaliter ac necessario spirat Spiritum Sanctum: Ergo actus spirandi est necessarius.*

Actus illos  
esse tales  
non dubi-  
tatur: an  
verò pro-  
pter alle-  
gatas Be-  
cani ratio-  
nes sint ta-  
les contro-  
vertitur.

8. Actus hosce naturales ac necessarios esse, non quidem inficiamur: Esse verò tales ob adductas rationes valde controvertitur. Nam desumuntur illæ à modis generationis ac spirationis, tanquam certis & indubitatis. Modus generationis definitur, quod Pater generet filium *se intelligendo*: Spirationis: quod Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum *se naturaliter amando*. Verùm isti modi certi non sunt, utpote in Scripturâ nullibi revelati, Sed sunt tantùm similitudines ad mysterium hoc applicatæ: Ideoque parum vel nihil probant. Deinde benè notetur, quod in primâ conclusione dixerit Beccanus, quod *actus notionales: Dicere & intelligere ita dicantur, quatenus distinguantur ab essentialibus, qui sunt intelligere & velle*: Hic autem naturales ac necessarii dicuntur, proindeq; Essentiales. Si autem hoc, & intelligere est essentialis notio, & tribus personis communis: Ergo non tantum Pater se naturaliter intelligit, sed etiam Filius se naturaliter intelligit, Itemque Spiritus Sanctus: Si ergo se ipsum naturaliter intelligere est gignere Filium: Utique & filius gignit rursus filium, & Spiritus Sanctus gignit filium. Quid verò in fide nostrâ absurdius? Idem omninò dici potest de modo Spirationis: *Si enim naturaliter se ipsum amare est spirare S. Sanctum*: Queritur an non æquè dici possit de filio; quod se naturaliter & necessario amet: Item de Spiritu Sancto, quod se naturaliter & necessario amet? Ergo ne erunt rursus duæ processiones, à filio una, & à Spiritu Sancto una: & sic numero tres? quid rursus in fide absurdius. Ergo ab ejusmodi inanibus & ociosis ac periculosis speculationibus planè est abstinendum.

Tertia  
Conclusio.

9. Tertia Conclusio: *Idem actus & dicuntur voluntarii voluntate divina, non ut libera, sed ut naturalis est.* Unde (colligit porro



porro Becanus) Pater non liberè gignit filium, ut volebant Ariani, sed naturaliter ac necessario: neq; tamen invitus sed voluntarius. Res plana est: & de eo etiam supra egimus.

10. Quarta Conclusio: Illi duo actus, generare & spirare non sunt eodem modo voluntarii; nam Spiratio duobus modis voluntaria 1. à voluntate, ut à principio. 2. à voluntate concomitante. Nam Pater & Filius non tantum producent Spiritum Sanctum voluntate, tanquam principio activo; sed etiam productionem illam voluntate approbant, ita ut productio illa sit objectum volitum & amatum; non liberè, sed necessariò. Ratio est: Quia DEUS naturaliter & necessariò diligit se, & vult se esse, sicut in se est: sed est trinus per productionem ad intra: Ergo necessariò diligit Trinitatem & productionem ad intra. Quod verò attinet ad generationem Filii, illa quidem voluntaria est à voluntate concomitante, quia scilicet amatur & diligitur à DEO, non tamen est voluntaria, à voluntate, tanquam à principio activo: quia Pater non generat Filium voluntate, sed intellectu, tanquam principio.

Quarta Conclusio. Spiratio duobus modis voluntaria actio.

Generatio Filii non item.

11. Quilibet etiam intelligit: quod hic totus discursus nullo nitatur fundamento scripturæ; sed nuda conjectura rationis: quâ conjicit illa, nullo modo demonstrat; Patrem gignere filium intelligendo; Patrem verò & Filium simul spirare Spiritum Sanctum volendo & amando. Hæc verò fundamenta quia valdè lubrica & incerta sunt, facilè intelligitur, quid de toto discursu sit sentiendum, nempe, uti diximus, quod sit conjectura rationis sine certâ ratione aut demonstratione accepta. Quæstio, quæ sequitur de volitione concomitante, Pater vult generationem, cum ille sit prior generatione? quia futilis & inutilis est, indignam judicavimus assumptione & resolutione.

Becani discursus nullo nitatur fundamento.

299 3 QUÆ

ac  
rgo  
est  
sa-  
um:  
em  
on-  
ac  
io-  
ra-  
tu-  
cri-  
ny-  
t.  
Be-  
ur,  
lle:  
en-  
tri-  
ali-  
em-  
gere  
, &  
ab-  
: Si  
an-  
riò  
ssa-  
o u-  
s in  
eri-  
nd  
vo-  
igit  
rrò



QUÆSTIO III.

An respectu actuum notionalium detur aliqua potentia notionalis.

Conclusio prima.

12. Resolvit & explicat hanc quæstionem Becanus quinque conclusionibus. Prima est: In Patre datur realis & Positiva potentia ad Generandum filium: & similiter in Patre & Filio, realis & positiva potentia ad spirandum Spiritum Sanctum. Est communis sententia (addit) contra Aureolum, qui asseruit, Potentiam generativam in Patre, non esse aliquid reale vel positivum, sed solum negationem repugnantiam, ut Filium generet. Id verò concedendum non esse probamus, sed esse potentiam positivam & realem. Rationem verò damus hanc: quia realis datur actus illi potentiam respondens. Qui certè actus, necesse est, ut sit à positivâ potentia: cum non possit esse toto genere præstantior, suo principio, à quo est. Adde, quod potentia obediens, quæ est sola negatio repugnantiam, respondet potentiam passivam, non activam. Hic autem quæstio est de potentia activâ & productivâ sive producente: Quæ tantum abest ut negetur per ejusmodi obediens potentiam objectivam: ut potius illam maximè confirmet. Nam quo difficilius aliquid producitur, eò excellentior & perfectior requiritur potentia activa positiva realis: Atqui ex potentia obediens objectivâ difficilius aliquid producitur, quam ex potentia naturali: cum hic sit aliqua dispositio ad actionem agentis recipiendam, ibi verò nulla: Ergo ejusmodi potentia activa maximè requiritur realis & positiva. Sic quia in creatione nihil fuit, quam respectu potentiam divinam, negatio repugnantiam, quia creatio impediri potuisset: Ergo arguitur potentia divina creans maximè realis & positiva.

Becani ratio.

13. Becanus hanc adfert rationem: Quia, inquit, Pater producit filium per intellectum, tanquam per principium, & Spiritum



etiam Sanctum per voluntatem. At intellectus & voluntas sunt aliquod reale in DEO. Ergo &c. Verum patet ex precedentibus: quod hac ratione in certum per magis incertum ac proinde nihil probetur.

14. Secunda Conclusio: Potentia generativa & spirativa est quidem realis in DEO, non tamen respectu actuum notionalium, sed respectu terminorum, qui per eos producuntur, id est, respectu Filii & Spiritus Sancti. Rationem addit: quia productio non est vera actio, sed solum relatio per modum actionis significata: Vera autem actio requiritur (ut in creaturis) si dari debeat potentia realis non solum ad effectum, seu terminum actionis, sed etiam ad productionem ipsam. Addimus nos, non potest dari potentiae illius duplex respectus, nempe ad productionem & productum: quia ista in divinis non revera distinguuntur, sed tantum modo concipiendi nostro distincte sumuntur: quae alias in re idem sunt: Nam filius quando generatur, genitus est: & quando genitus est generatur: & sic in re, generatio est ipse genitus: & genitus est ipsa generatio: Est enim hic productio sine actione & mutatione: Non itaque datur in illa via ad terminum sed est in ipso termino. *Conclusio Secunda. Nostra re- solutio.*

15. Tertia Conclusio: Potentia generativa in Patre non est ipsa paternitas: Et similiter potentia spirativa in Patre & Filio non est spiratio activa, sed est natura & essentia divina, licet non sola: quae opponitur Bonaventurae & Durando. Addit triplicem rationem: 1. Quia omne generans producit genitum sibi simile, quoad formam, secundum quam producit: Ergo id, in quo genitum est simile generanti, est potentia generativa, si non proxima, saltem remota: Sed Filius DEI est similis Patri in natura & essentia, non autem in relatione: Ergo natura, & non relatio, est potentia generativa. 2. Quia in humanis id, quo generans generat, non est proprietas personalis, sed naturae: Sed Paternitas in DEO Patre est proprietas personalis: Ergo non est id, quo Pater generat filium. *Tertia Conclusio. Ratio triplex.*

3. Quia



3. Quia relatio, quatenus relatio, non est activa aut productiva. Concedere possumus conclusionem cum suis additis rationibus, si intelligantur de Essentia divina, quatenus Paternitate sive primâ personâ determinata est. Tum enim in illâ concipi potest principium agendi, ut quo, nempe ipsa Essentia, & ut quod, nempe Persona, non quævis, sed prima, quæ est Pater.

*Quarta  
Conclusio.*

*Non probatur.*

16. *Quarta Conclusio: Natura divina est principium remotum, quo Pater generat: proximum verò est intellectus: Similiter natura divina est principium remotum, quo Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum: Proximum verò voluntas.* Verum quid de hâc conclusione sit statuendum, liquet ex illis, quæ hactenus de modo producendi personas divinas per intellectum & voluntatem sive amorem disputata sunt. Taceo, quod si vel maximè modus producendi personas esset certus, non tamen secundum rem ipsam principiorum distinctio in remotum & proximum hîc locum habere posset; quippe quæ tantum secundum modum intelligendi nostrum ita fingitur. Nam intellectus à natura divina in re non distinguitur, neque voluntas: sed DEUS vult per essentiam, atque sic ipsa essentia dicitur voluntas: Item intelligit per Essentiam, & sic ipsa Essentia dicitur intellectus: quomodo ergo intellectus itemque voluntas poterint ab essentiâ in actione & quidem hâc internâ distingui, ut propinquum à remoto principio: cum hâc distinctio principiorum, duo illa esse supponit: Natura verò & Essentia DEI sit cum intellectu & voluntate sua, eadem & simplicissima.

*Quinta  
Conclusio.*

17. *Quinta Conclusio: Potentia generativa non est Essentia & Intellectus absolutè sumta, sed quatenus sunt Patris; velut alii dicunt, quatenus substant Paternitati. Similiter potentia Spirativa non est Essentia & voluntas absolutè sumta, sed quatenus sunt spiratoris, vel quatenus substant spirationi activæ.* Hanc conclusionem jammodò probavimus. Quæ subjiciuntur objectiones, ut meræ ac inanes subtilitates, ita magni momenti non sunt. Videatur ipse Becanus.

*QUÆ*



## QUÆSTIO IV.

*An divine Personæ sint inter se æquales?*

18. Progredimur ad octavum caput Becani, in quo de tribus disputat. 1. *An divine Personæ inter se sint æquales.* 2. *An sit aliquis ordo inter personas.* 3. *An propter hujus modi ordinem concedenda sit aliqua prioritas in personis divinis:* Est igitur prima quæstio: *An divine personæ sint inter se æquales.*

19. In resolutione & explicatione hujus quæstionis initio explicat terminum *æqualitatis*, & primum notandum monet, *æqualitatem* in quantitate fundari: Cum illa æqualia dicantur, quæ habent eandem quantitatem: Sic illa dicuntur, *Similia* quæ habent eandem qualitatem. Ut ergo (pergit) duplex est quantitas, una propria, altera metaphorica: ita duplex est æqualitas, Una secundum quantitatem propriam; altera secundum quantitatem metaphorica. 2. Notandum dicit, æqualitatem fundatam in quantitate metaphorica, de quâ hinc agimus, triplicem in DEO spectari posse: *Unam in perfectione essentiali; alteram in virtute agendi: Tertiam, in duratione.* De illis agit in tribus conclusionibus. 3. Notandum vult, ut aliqua dicantur æqualia, tria requiri. 1. Ut inter se distinguantur: quia idem non dicitur sibi ipsi æquale. 2. Ut habeat quantitatem ejusdem rationis. Unde linea non potest dici æqualis angulo. 3. Ut quantitas in uno non sit major quam in altero. Quæ omnia rectè se se habent, & ad explicationem rei præsentis conducere possunt.

20. Conclusio prima: *Divine personæ sunt æquales in essentiali perfectione.* Rationem addit: quia, inquit, inter se sunt distinctæ & habent eandem numero essentiam, quæ non est major in una atq; in alia: Ergo habent omnia requisita ad æqualitatem, juxta tertium notabile.

Rrr

21. Con-

In octavo capite de tribus disputat Becanus.

Æqualitas fundatur in quantitate.

Ut duplex quantitas sic duplex qualitas.

De Æqualitate fundatâ in quantitate metaphorica hinc agitur.

Æqualitas triplex in DEO.

Tria requiruntur ut aliqua dicantur æqualia.

Conclusio prima: Personæ sunt æquales in Essentiali.



Conclusio  
secunda  
sunt equa-  
les in vir-  
tute & po-  
tentia  
agendi.  
Athana-  
sius.

21. Conclusio Secunda: *Divinae personae sunt aequales in vir-  
tute & potentia agendi, juxta illud Johannis 5. v. 19. Quaecunque  
Pater facit, haec & filius similiter facit.* Superaddit Becanus ratio-  
nem hanc: *Quia potentia activa sequitur essentiam seu naturam.*  
Ergo ubi est eadem numero essentia, debet esse eadem nu-  
mero potentia activa. Unde illud Athanasii: *Omnipotens PA-  
ter, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus: Et tamen non  
tres omnipotentes, sed unus omnipotens.* Subjicit hic aliquod  
dubium Becanus, quod etiam solvit. Videatur ipse.

Conclusio  
tertia sunt  
equales  
in dura-  
tione.

22. Conclusio tertia: *Personae divinae sunt aequales in duratio-  
ne, juxta illud Athanasii: Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus  
Spiritus Sanctus.* Omnia recte sese habent, & conveniunt exa-  
cte cum nostra fide & religione.

An Perso-  
nae divinae  
ut aequales  
sic quoque  
similes di-  
cantur.

23. Quæri etiam hac occasione potest, *An ut aequales, sic  
quoque similes personae divinae dici queant.* Ubi advertendum est,  
patres vetustiores tempore Concilii Niceni, & durante Aria-  
norum errore, evitasse voces, quæ solam similitudinem inter  
duas Personas divinas significare videbantur: qualis erat ce-  
lebris illa vox *ὁμοιόσιον*, id est, *similis essentia.* Atque ideo Con-  
cilium Ariminense est rejectum, quod vocem illam in Symbolo  
posuerit. Et *Basilii Epistola 82.* dicit, Macedonianos non dis-  
cessisse ab errore Arrii: quia tantum *similitudinem Essentiae* in-  
ter Patrem & Filium admittebat. Cujus etiam meminit *Epi-  
phanii heres. 73.* Et *Theodoretus lib. 2. Histor. cap. 6.* & est hoc fre-  
quentissimum in Patribus ejus ætatis. Id verò ideo fuit, quia  
hæretici illâ voce abutebantur ad excludendas alias, quæ ve-  
ram significant consubstantialitatem. Benè enim noran-  
dum, quod *similitudo* ex vi suæ significationis non requirat  
realem unitatem in forma, sed conformitatem: Item in vi-  
gore non postulare conformitatem in gradu perfectionis:  
Quandoquidem duæ albedines recte dicuntur similes, etiam si  
non sint pares, seu æquè intensæ. Quare Hæretici, ut unita-  
tem personarum in divinâ natura, æqualitatemque in perfe-  
ctione excluderent, *similitudinis* voce utebantur, eamque in di-  
vinis



vinis illis personis ponebant, simulque negabant identitatem & æqualitatem. Atque hoc sensu revera hæreticum, similitudinem ponere in divinis personis.

24. Interim tamen in sensu Orthodoxo omnino dici potest, utnam personam divinam alteri similem esse. Et id facere videtur ipsa Sacra Scriptura: quando Hebr. 1. de Filio dicitur, quod sit splendor gloria & character sive imago personæ ejus. Ergo illum quando appellat imaginem Patris, etiam ei similem vocat. Non est enim imago sine similitudine. Et August. lib. 7. de Trinitat. cap. ult. scribit, personas dicendas esse similes & non dissimiles: quia hoc ad substantiam refertur. Idem Thomas 1. part. quest. 31. art. 2. Et ratio est evidens. Nam etiã si similitudo nõ semper includat actu æqualitatem, tamen illam etiam nõ excludit uti etiam nõ excludit unitatem, imò illam quodammodo requirit: & tantò similitudo erit major, quantò major fuerit unitas inter extrema distincta. Similitudo itaque quatenus perfectionem dicit, & imperfectionem excludit, propriè conveniet divinis personis. Imo hæretici in eo sensu quo loquebantur, magis assererent personas dissimiles, quam similes. Cum enim distinguerent naturas, necessarium erat, eas tantum inter se distare, quantum finitum ab infinito, creatum ab increato: quæ sanè magis inter se sunt dissimilia, quam similia.

25. Verùm de æqualitate neque in re neque in voce est aliqua ambiguitas, modò supponatur, sermonem esse de quantitate perfectionis sive virtutis, non de quantitate molis, ut ex præcedentibus patet. Quare de fide est, inter personas divinas esse æqualitatem; quam rectè per negationem Athanasius expressit in Symbolo: In Trinitate nihil est majus aut minus, prius aut posterius. Et inde concludit: Totas tres personas sibi esse coæquales. Idem habet Augustinus lib. 9. de Trinitate cap. 1. dicitque hanc æqualitatem personarum nihil aliud esse, quam unitatem essentia. Qui etiam videatur lib. 3. contra Maximium cap. 10. & Sermonem 38. de tempore. Anselmus in Monologio cap. 13. dicit: Personas esse æquales, quia unaquæq; est perfecta & summa essentia. &c.

299 2 QUÆ

In sensu  
Orthodo-  
xo simili-  
tudo usur-  
pari po-  
test.

Similitu-  
do quomo-  
do conve-  
niat divi-  
nis perso-  
nis.

De æqua-  
litate nul-  
la est am-  
biguitas.



## QUÆSTIO V.

*An sit aliquis Ordo inter Personas divinas?*

*Questio est  
de ordine  
originis.*

26. Initiò distinguit Becanus inter ordinem & dicit, constare in personis divinis non esse ordinem temporis aut durationis, cum omnes sint æternæ: Concludit ergo, *questionem esse de ordine natura & originis.* De quibus has duas subjicit conclusiones.

*Conclusio  
prima*

27. Prima: *Inter Personas divinas est ordo originis, qui in eo consistit, quod filius sit à Patre & non Pater à filio; Itemq; quod Spiritus Sanctus sit ab utroq; & non contra.* Addit rationem: *quia, inquit, ordo dicitur per comparisonem ad aliquod principium.* Ergo pro ratione diversorum principiorum diversi sunt ordines, verbi gratia, per comparisonem ad principium durationis, dicitur ordo secundum durationem; per comparisonem ad principium situs, dicitur ordo secundum situm, per comparisonem ad principium causalitatis, dicitur ordo secundum causalitatem, & sic deinceps. Atqui in divinis dicitur principium originis: Ergo etiam datur ordo originis. In hac conclusione & subjectâ ratione nihil desideramus, omnia rectè se se habent.

*Conclusio  
secunda.*

28. Secunda conclusio: *Hic ordo originis, qui est inter personas divinas, rectè appellatur ordo natura, quia non est liber, sed naturalis.* Confirmat illam non tantum ratione sed etiam auctoritate Augustini, qui lib. 3. contra Maximium cap. 14. sic scribit: *Non enim genitorem ab eo, quem genuit, sed genitum à genitore mitti oportebat. Verum hæc non est in æqualitas substantiæ, sed ordo natura, non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ab altero.*

*Augustinus  
distinguit  
inter ordi-  
nem & prio-  
ritatem.*

29. Ergo exactè Augustinus distinguit inter ordinem & prioritatem; Etiam si enim concedat in personis divinis dari ordinem natura: hoc est, naturam divinam ita esse comparatam, ut in illâ insit ordo personarum nequaquam tamen statuendum putat, in divinis hisce personis aliquam priorem esse na-



esse naturâ: cum ejusmodi prioritas quandam inæqualitatem  
essentiæ vel etiam potentiæ inferat, quæ hactenus negata est.  
Sed pluribus hæc de re in sequente quæstione.

QUÆSTIO VI.

An propter hujusmodi ordinem concedenda sit aliqua  
prioritas in personis divinis.

30. Aliqui putant (respondet Becanus) Patrem ex naturâ  
rei priorem esse origine, quàm Filium: Et patrem & filium esse prio-  
res origine quàm Spiritum Sanctum. Decidit autem quæstio-  
nem tribus conclusionibus.

31. Prima: Licet inter Patrem & Filium sit ordo originis ex  
naturâ rei, non tamen est prioritas ex natura rei. Sic Augustinus  
allegato loco. Et colligitur ex illo Athanasii: In hæc Trini-  
tate nihil prius, nihil posterius. Insuper addit hanc ratio-  
nem: Quia si Pater ex natura rei esset prior Filio, vel id-  
esset quoad Esse absolutum vel quoad relativum. Non prius: quia  
quia omne absolutum est idem planè numero in Patre & Fi-  
lio. Nec posterius: quia Pater & Filius quoad esse relativum  
inter se referuntur, tanquam duo correlativa: Ergo eo modo,  
sunt simul naturâ & cognitione. Objectiones & illarum so-  
lutiones vide apud ipsum Becanum.

Prima  
conclusio.

Ratio Be-  
cani.

32. Secunda Conclusio: Sicut Pater ex naturâ rei non est pri-  
or filio, ita neq; nostro intelligendi modo est prior, si uterq; concipia-  
tur, conceptu relativo, sicut debet concipi. Ratio est manifesta:  
Nam ut correlata sunt naturâ simul, sic unum illorum non  
potest cognosci, nisi simul cognoscatur alterum: Quia enim  
Pater est, qui habet filium: & Filius, qui habet Patrem: se-  
quitur quod Pater neq; cognoscatur neq; definiatur, nisi si-  
mul filius cognoscatur ac definiatur. Ergo ut naturâ sic  
quoq; cognitione sunt simul.

Secunda  
conclusio.

Rrrr 3


33. Tertia



Tertia  
Conclusio

33. Tertia Conclusio. Tametsi neque Pater prior sit filio, neque Spirator Spiritu Sancto, sive ex natura rei, sive nostro concipiendi modo, tamen Pater ut Pater, & Filius ut Filius, sunt priores Spiratore & consequenter Spiritu Sancto, saltem nostro intelligendi modo cum fundamento in re. Verum dicimus nos, quod etiam quoddam juxta Philosophum libro κατὰ γρηγορίου cap. 12. dicatur prius κατὰ τὴν τάξιν: Omnino ergo dicere possumus Patrem priorem esse ordine Filio, & Patrem & Filium Spiritu Sancto, ut illa subtilitate Jesuiticâ non sit opus.

F I N I S.



Eximio & Prestantissimo

DN. DANIELI KLESCHIO, Conterraneo  
pl. honorando & dilecto,

L ucentem Solis radium miratur homullus;  
miretur potiùs Lucidiora, DEUM.

Luminis ille PATER genuit de Lumine LUMEN,  
das Lucis radium, SPIRITUS alme, Tuæ.

O Lux Trina Tuos rimando mente recessus.

Stultitiam, prodit Mens mea, fisa sibi.

Miramur tecum, KLESCHI. Nam Lumine tanto  
nil mirabilius. Claudite nunc oculos.

Rimetur Ratio, modò sit Lux pro via Verbi,

hoc sine fert tenebras, fert mala multa Piis.

Te super emittat radium Lux Trina faventem,

ut Tua post niteat Patria, Luce DEI!

L. M. Q.

f.

Matthias Langius Sempronio-Hungarus,  
Ecclesiæ Witteb. Diaconus.

Hungara



**H**ungara Te genuit felici sidere tellus,  
Instruxit variis mentem Germania rebus.  
Doctorum assidue voluisti scripta Sophorum,  
Jam quoque scrutaris sancti penetralia verbi:  
LEUCORIS est testis testis simul ARGENTINA,  
Est testis praesens tua disceptatio, KLESCHI,  
Sat praecleara tui promens documenta laboris.  
*Divinae Triadis quae notio, quisve character*  
*Sit Patris & Nati Flatusq; sacri, asseris apte,*  
Rem facis, hoc nostro quam nulla salubrior aeo.  
Non minus egregius victor dici inde mereris,  
Quam Saracenorum si millia plurima ferro  
Prosternens, magnam portares laude triumphos.  
Pugna, praevideo, pugna haec tibi proderit olim,  
Te reducem laeto excipiet tua Patria plausu,  
Hungariae Proceres patrono corde favebunt  
Committentque tuis studiis bona munera Spartae,  
Perpetuam capies largo cum faenore famam.

*deproperabat*

M. Christianus Trentschius  
Facult. Philos. Adj.



**Scazon.**

**S**cientiarum non domabilis fervor,  
Qui te paternae fecit exfulem terrae,  
Et trans praeraltos montium aggeres raptum  
Hirtosq; vepres, Saxonum stitit nostrae  
Almae Sioni, nunc tibi novas vires,  
KLESCHI, ministrat, & animo faces subdens  
Flagrantiores, emicare Te svadet,  
Ac ad serenos grandis aetheris tractus  
Jubar coruscum splendidando proferre.

**Hinc**




Hinc te Cathedræ, publicæq; committis  
Caveæ Lycæi, & dirigente MARTINI,  
Atlante Nostro, verba docta De Trino  
Gnati Patrisq; & Flaminis Charactere  
Seris difertus. Ito prospero gressu,  
Dilecte Tbesen; Sic tuæ dehinc felix  
Non pœnitendum Patriæ paras fructum.

Eximia Dn. RESPONDENTI.

SINCERO AMICO

Hec

M. SAMUEL POMARIUS  
SILESIVS.



אשר ישא רבוא  
לבית חכמת אורה;  
ורוחק השקורה  
באמרו התורה;  
ורוב צרך הוצא  
ברלח הפארה;

קציר חרעת בוא  
פרי לך הנה בוא  
כלשכה הגורה  
וגם רב הרורה  
מעורר ברע צא  
בטוב כי ימצא

Φιλίας ενεκα  
adponebat

M. Johannes Hiller Rufsus.





Umg. VI-61

ULB Halle

3

004 113 25X




IA 70L

Umg. VI 61









B.I.G.

Farbkarte #13

9

*Cum DEO*  
IN AUGUSTANÆ CONFSSIONIS  
Articuli primi partem priorem, quæ agit

*De*  
DEO UNO ET TRINO  
IN SE CONSIDERATO,  
DISPUTATIO XXIII.

Ex Becano, & contra eundem;

*De*  
NOTIONIBUS, ÆQUALI-  
TATE, ORDINE ET PRIORITATE  
PERSONARUM.

*Quam WITTEBERGÆ*  
PRÆSIDE Venerando sene  
*Plurimum Reverendo, Amplissimo Excellentissimo,*  
V I R O

*h. III, 1716*

DN. JACOBO MARTINI,  
Sacrosanctæ Theologiæ Doctore ac Professore,  
Publico Primario, Totius Academiae SENIORE Venerando, Templi  
Arcis Præposito, & Consistori Ecclesiastici Assessore

gravissimo,  
Præceptore atq; Evergeta suo omni observantiâ atq; devotâ  
animi submissione sanctè suspiciendo.  
*Placida Dnn. Collegarum Ventilationi exponit.*

DANIEL KLESCH IGLOVIA  
HUNGARUS.

In Auditorio Theologorum  
Ad d. 22. Julij, Anno clc lxx. XLVIII.

Excudente JOHANNE RÖHNERO Acad. Typogr.

